

dinem perueniat, & seruetur. Sic imperat densandum esse Oxalidis succum, Citri, Omphacij, de Berberis, Mororum, Cydoniorum, & similibus. Seruantur omnes succi saltem per annum, qui apud nos crassescunt; peregrini per longius temporis curriculum. Inter succos etiam locauit Theophr. lib. i. de Hist. Plant. c. 19. Vinum, & Oleum, de quibus, cum occasio postulabit, orationem suscipiemus. Aliqui pro firmo, ac rato habent succos sub Sole densatos calidos ita fieri, vt corpora inflammata, & febricitantium lædere possint: quod non tantum Scriptorum grauium opinioni repugnat, qui succos varios densandos esse inflammationi repugnantes decreuerunt; vt est succus Vuæ acerbæ, & Mororum ad crassitiem decoctus, à Gal. mirum in modum probatus ad faucium inflammationes curandas: sed etiam experientiæ; nam Oxalidis succus, & Citri igne, aut Sole densatus, nec falsus, nec amarus euadit, immo Glycyrrhizæ dulcior, nisi aduratur longo temporis tractu, maximè si Solis calore hoc agatur: placido enim modo in auram subtiliores partes euanescent. Nec mel, quod faciliè amarescit, lento igne decoctum euaporata superflua humiditate densatum nullius amaritudinis fit particeps.

De Mucagine elicienda, quæ ab antiquis succus appellatur. Cap. X.

M V C A G O inter illos succos enumeranda venit, qui maceratione fructuum, aut seminum, aut radicum, viscedinem in se continentium faciunt.

D

ciuntur.

ciuntur. Succum illā vocarunt Orib. 3. Syn. & Paul. necnon etiam Damocrates, referente Gal. 2. de Cōpos. Med. per genera c. 10. qui modum eam parandi his cecinit Carminibus:

*Olle orificio amplo recenti fictili
Maluæ radix purgata, & contusa, vt fuerit indita,
Mox addito Fœnugræci elutum probè
Liniq. semen: at cum succum emiserint
Coctura, spissitudinemq. acceperint,
Habeto succum, expresseris quem linteo.*

Ab his quattuor memoratu digna eliciuntur, quæ sunt, illa, ex quibus mucilago educitur, sint purgata, & abluta, sint crassè contusa, cocta, & calida expressa linteo; sit tamen rarum, vt facilius permeare possit ille lentor. Non est tamen ignorandum, prius illa maceranda esse per diem, & noctem, præceptum est Auic. lib. 5. Ser. 1. Tr. 11. vbi de Diachylone, sic: *Semina Fœnugræci, Lini, & Althææ infundantur die, & nocte, postea sumatur illorum mucilago, quæ bulliat ebullitione una.* At non quæcumque semina ebullienda veniunt, sed satis erit, si tantum macerentur, sicuti de Psyllij semine reliquit scriptum Asclepiad. vt legitur 7. de Comp. Med. secundum locos cap. 4. ita: *Psyllium in aquam calidam coniectum macerari finito, atque vbi viscosum, & glutinosum de se in aquam deposuerit, liquorem exprimito.* Ebullire non imperat Psyllium, sicuti nec Orib. 3. Syn. vbi de Pastillis ex Electro. Mes. autem cap. de Psyllio, in aquam frigidam, & non in calidam ipsum infundit, cuius verba sunt: *Aqua frigida maceretur, & agitetur. & subdit:*
à Psyl-

à Psyllio aqua frigida macerato fontana, & quassato, fit muscosa portio. Sed fortè Asclepiades celeritatem compositionis mucilaginis cupiebat, & eius maiorem crassitiem, necnon etiam fortè aliquem eius calorem, & acutiem, quæ in intimiori eius parte commoratur, & à calore excitata aquæ foras erumpit. Antequâ immergatur aqua, si sequi volumus Dioscoridis dicta, teratur: cuius quoque sententiæ fuit Damocrates, ut lib. 2. de Antid. c. 3. ubi de antiqua Phthisi, sputoq. sanguinis comite febre latenti, cuius Carmina sunt:

*Alia cribro tusa excerne tenui,
Immitte solum in mortarium Psyllium,
Multò plus tamen, ut inde quantum velis
Sumas; nam totum comminui nequit.*

Mes. verò contritum omnino vituperat, & nullo modo exhibendum esse affirmat: quoniam medulla eius interior quarto ordine calida, & sicca existens exulcerat, & rubificat. Hic, ni fallor, refrigerare, & lenire solum studebat, at ille & lenire, & attenuare, & incidere, sibi proposuerat.

Quantitatem aquæ, aut alterius liquoris, in qua femina macerari debent, statuit Orib. 3. Syn. sic: Succum seminis lini ita confice: Ad lini seminis diligenter abluti sextarium, tres aquæ cape, & coque, & paulatim insperge. Sed non ita facilè, me iudice, existit discernere aquæ quantitatem certam pro varia natura feminum; aliqua enim lentoris maiorem copiam in se habent, & alia minorem. Præterea in nonnullis medicaminibus mucaginem densiorem, aut re-

D 2 missio-

Error aliquorum.

missiorem, vel aquosiorē Medici cupiunt: & ideo aliquando pro singula vncia tres aquæ imponuntur: interdum vna in quattuor, aut quinque maccatur, vt aliqui dicunt. Hæc autem agenda eueniunt, quotiescūque à Medicis aliter non determinatur. Nonnulli autem Recentiorum semina illa viscida linteo inuoluunt, vel marsupio, & sacco imponunt, quem manibus, dum ebullit, aut aliquo ligneo instrumento comprimunt, placidè tamen, vt mucago foras labatur: at hi re vera assequuti non sunt mentem Scriptorum, aut illam paruifaciunt: quoniam si talis eorum extitisset voluntas, hoc imperassent, sicut iubent interdum Crocum nodulo ligandum esse, ac manibus comprimendū, non rarò & Scammonium, docente Mesue; sed de diti opera hoc neglexerunt, vt mucilago copiosa, atque multa esset, & præterea satis viscida, & tenax, quod non eueniret, si sacco detenta illa essent. Obseruauit talem modum parandi mucaginem, dum de Psyllij mucilagine agit, quem ab ipso isti didicerunt. Postquam expressa fuerit omnis mucago, quam Emplastra, aut Cerata recipiunt, placidè decoquatur, vsquequo humiditas superflua absumatur, & postea ceteris immisceatur.

De Gummi, & Resina. Cap. XI.

APPELLAVIT præterea Arist. i. lib. de Plant. c. 2. Succum omne illud, quod præcipuè à plantarum truncis emanat, & in vnum concrescit, cuius